

Rome, 27 Août 1601.

/ Illustrissime & Reverendissime Domine. Nuncius de electione  
 personae vestrae ad Ecclesiam Moguntinam non mihi solum, sed toti Ro-  
 manae Curiae gratissimus fuit. Auxit vero laetitiam adventus Venera-  
 bilium virorum Domini Jacobi ab Elts, & Domini Viti Miletii, qui coram  
 5 nobis exposuerunt, quanta bona de singulari fide, prudentia, integrita-  
 te, aliisque praeclarissimis dotibus D.V. sperare possimus. Quae causa  
 fuit, ut negotium confirmationis nullas omnino pateretur difficultates.  
 Itaque hac ipsa die in frequentissimo Senatu, summo omnium Patrum con-  
 sensu & gratulatione, auctore Pontifice Maximo, res tota feliciter  
 10 peracta est. Illud unum restat, ut Amplitudo vestra conceptae de se  
 opinioni & expectationi respondeat. Patet virtuti vestrae campus la-  
 tissimus de Ecclesia Dei, de Romano Imperio, ac potissimum de Germania  
 tot haeresum morbo laborante bene merendi. Audimus quotidie non deesse  
 animosos haereticos, qui libenter ad gremium Sanctae Matris Ecclesiae  
 15 reverterentur, si invenirent, qui eos benigne exciperent, & anhelantibus  
 ad aeternam vitam temporalia subministrarent. Beatissimus Pater noster  
 Clemens Octavus, ut nos testes sumus, non exiguam summam in ejusmodi  
 pietatis operibus insumit; sed non potest solus omnibus, quae se quo-  
 tidie offerunt, necessitatibus subvenire. Equidem non dubito, quin D.  
 20 V. caeterique catholici Germaniae Principes cordi habeant haereticorum  
 , ac praesertim insignium conversionem: tamen praesens occasio respon-  
 dendi litteris Amplitudinis vestrae, et desiderium, quo ardeo Germaniam  
 adjuvandi, quocumque modo possum, impulit me ac coegit, ut hoc officii-  
 um occurrendi cum fratribus iis, qui fatigati in via perditionis ad pa-  
 25 triam redire festinant, D.V. commendarem. Quod reliquum est, amicitiam,  
 & gratiam D.V. toto corde amplector, paratus vicissim, omnibus in rebus  
 in quibus opera vel studium meum negotiis vestris in Urbe utile futuro  
 esse videbitur, praesto esse. Dominus Deus noster Amplitudinem vestram  
 sollicite fideliterque gregi dominico, in illis partibus praesidentem  
 30 gratia sua tueatur ac dirigat: ut cum venerit Princeps Pastorum, immar-  
 cescibilem gloriae coronam de manu ejus percipiatis. Romae die 27.  
 August. 1601.

Fuligatti, Epp. famil. XIII.